

MVB Prodr.  
n. 1345

1345. *Nobili viro Ulrico de Jindřichův Hradec et hiis, quos ad persecutionem haereticorum in bonis ipsius existentium secum duxerit assumendos, indulgentias transfretantibus in Terram Sanctam consuevit concessas conceduntur.*

*Avinione, 1340 Martii 6.*

L

D. f. nobili viro Ulrico, domino de Nova domo Pragensis dioc., baroni de regno Boemie, salutem. Pia vota fidelium libenter benigno<sup>a)</sup> favore prosequimur et in hiis presertim, que fidei favorem respiciunt, feliciores eorum liberaliter<sup>b)</sup> exaudimus. Sane peticio tua nobis exhibita continebat, quod in terris tuo dominio temporali subiectis in Pragensi et Olomucensi<sup>c)</sup> dioc. consistentibus et eciam in toto regno Boemie infiniti heretici, communiter Theutonici, et advene non absque infeccione cultorum fidei orthodoxe periculose, pro dolor, in magna multitudine pullulaverunt et quod dicti heretici cum inquisitores heretice pravitate, auctoritate apostolica in illis partibus constituti, volunt procedere contra eos, fugiunt et latitant ac catholicos capiunt, mutilant, expoliant et alias prodicionaliter offendunt eosdem eorumque bona incendio ignis supponunt; et quod licet per d. f. Gallum, fratrem ord. Predicatorum, inquisitorem pravitate predictae in illis partibus deputatum, nunc presentem in Romana curia, multi infecti pravitate predicta abiuratis erroribus devote redierint ad agnitionem et observationem fidei orthodoxe, tamen post eius absenciam in errores pristinas sunt relapsi, conventiculas illicitas cum magistris eorum, quos vocant apostolos, faciendo, qui eciam in tantum numerum excurrerunt, quod te tuosque subditos catholicos ausu sunt temere diffidare. Quare tu in nostra presencia constitutus nobis humiliter supplicasti, ut, cum tu pro exaltacione catholice fidei et zelo ipsius intendas exponere te et tua ad hereticorum exterminium predictorum vel reduccionem ipsorum ad lucem catholice veritatis dictoque inquisitori eiusque inquisicionis officio assistere toto<sup>d)</sup> posse ac ob hoc habeas dictorum hereticorum machinaciones et mortis pericula formidare, providere tue spirituali saluti de solita sedis apostolice clemencia dignemur. Nos igitur tuis supplicacionibus inclinati tibi et hiis, quos tecum ad prosecutionem premissorum duxeris assumendos teque sic assumpti sequuntur personaliter, quosque forte quocunque modo negocium fidei contra hereticos predictos prosequendo machinacionibus autem facto vel occasione<sup>e)</sup> dictorum hereticorum mori contingerit, illam omnium peccatorum vestrorum, de quibus fueritis corde contriti et ore confessi, auctoritate apostolica veniam indulgemus, que per sedem apostolicam indulgeri vel concedi consuevit transfretantibus in subsidium Terre Sancte. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. <sup>f)</sup>

Datum Avinione II non. Marccii a. VI<sup>o</sup>.